

UNIVERSITATI LITERARUM
ALBERTINAE
REGIMONTANAЕ
sacra secularia


postquam condita est tertia

per dies **XXVI.—XXXI.** mens. Augusti Anni **MDCCCXLIV.**

rite celebranti

gratulantur

Gymnasii regii Thorunensis Director, Professores, Collegae.



23

THORUNI, 1844.

TYPIS LEOPOLDI DRECHSLERI.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
AND ARCHITECTURE

RECORDS OF THE DEPARTMENT

OF THE HISTORY OF ARTS AND ARCHITECTURE

FOR THE YEAR 1911-1912

CHICAGO, ILL.

1912

PRINTED BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS
AND ARCHITECTURE

Qua procellosi maris aestuantes
Alluunt fluctus Venedum feroci
Tractibus longis habitata quondam
Litora genti,

Unde odorato coluisse templa
Graecia electro et petiisse mundum
Splendidum fertur pretio paratum u-
xoria grandi:

Barbaris illic domitis coloni
Magna montano posuere saxo
Teutones multaque decora fortes
Moenia laude;

REGIAM quam Rex voluit vocari
Conditor sedem celebrem auguratus
Et fore insignem pietate in omne
Regibus aevum.

Illa tum primum stolidae fugavit
Mentis errores docuitque rectos
Unius cultus Patris atque Nati
Virgine sancta.

Ecce crudeles fera corda ponunt
Barbari et mores capiunt politos,
Iamque Germanum coiere in unum
Gensque Borussum.

Clarius multo sed enim nitore
REGIA, fatis ita visum, ab ARCE
Lumen obscuras iterum refulgens
Dispulit umbras,

Dispulit, sanctum quibus illigabat
Sive fraus verbum mala seu libido
Prava fingendi temere, involucra,
Servitiumque,

Quo diu pressae misere gemebant,
Mentibus demit grave, quum Borussa
Sceptraque ALBERTUS soliumque cepit
Omne fausto,

Stirpe Brennorum genitus vetusta
Principum, clarae subolis parente,
Prosperam terris bona quae dedere
Fata beatis.

Salve, TE, ALBERTINA, vocamus, ALMA,
Nomen ALBERTI celebre atque laudes
Et per immensum referens honores
Temporis orbem!

Artium custos vigil et fidelis,
Quisque divinum quod et est caduca
Liberum in vita colitur, bonorum
Sedula nutrix!

Unde secundo veluti profecta
Fonte complerunt sapientiae atque
Larga doctrinae sine fine cunctas
Flumina terras.

Strenuo ardentis studio petitam
TE frequentarunt iuvenum cohortes,
Principesque omni decorare et arte et
Laude magistri.

TE potens, quamquam latitante gressu
Lenis adrepens, hominum superba
Quae ruit commenta, dies, et acta,
Viribus auxit.

En TIBI, quidquid spatii peracto
Tempori accedit, decus omne crescit,
Additurque ipsis repetita ab annis
Laeta iuventas!

Terties centum TIBI nunc per orbis
Seculo festas referente luces,
Quum iuvat mixtos iuvenum senumque
Ducere pompas,

Quum choros sacros agere atque ludos
Rite solemnes, properantque cara
Quis et ALBERTINA sua est viris et
Est veneranda,

Vota sinceramque preces ovanti
Ferre gratantes animo: secunda
Nunc TIBI sancto decet augurari
Carmine vatem.

Floridam multo TUA TE decore et
Laudibus virtus faciet virumque,
Quique nunc ornant cathedras TUAS, nec,
Nomine clari,

Deerunt unquam, locuples bonasque
Promovens artes studium et cupido,
Magna scrutatrix eademque veri
Liberam vindicem;

Quam Deus dotem propriam suamque
Dici et insignem voluit Borussis,
Regibusque ipsis nihil esse laude
Pulchrius illa.

Donec in terris valet imminutus
Ascani sanguis populo et Borussum
Nobilis regnat, FRIDERICI et illis
Sunt GUILIELMI:

Non TUUS deerit TIBI honos decusque,
Non TIBI coetus iuvenum frequentes,
Non TIBI, latum data quae per orbem,
Fama perennis!
